

femidiametrum, facile concludendum, nullam humani ingenii vim tantam esse, quæ tantæ distantiae terminos assequi possit.

*Stelle non
admittunt
certum nu-
merum.*

3. Numerum Stellarum quod attinet, quis eas numerare potest? Hoc enim tempore Telescopiis astronomicis multò plures videre possumus, quàm olim, & quantò præstantiores sunt hi tubi, tantò acutiores reddunt stellas nebulosas, quæ alias nudis oculis planè non apprehenduntur.

*Multa sunt
Stella, etiam
Sole nostro
decies ac
ultra majores.*

4. Quanta quoque sit cujusvis Stellæ moles, etiamsi certæ indagini non subsit, dubitandum tamen non est, quin earum multæ sint, Sole nostro decies & ultra majores.

5. Quod omnium maximum, illud est *Immensa* ista Intercapedo, seu SPATIUM vel EXPANSUM, omnes hos Globos quotquot etiam numero sint & quantæcunque multitudinis, continens; cujus comparatione omnia hæc corpora simul sum-

ta, tantum ut minima pars vel Atomus æstimanda.

Hæc, cum diu consideraverim, & simul animum circa Mundi fabricam sæpius exercuerim; me non solum tantæ illæ ingentes horum Mundanorum Corporum moles atque eorum immensæ distantiae humano intellectui omnino imperviæ, expavescere fecerunt: sed cum primis omnium, me vastum illud intermedium & sine fine SPATIUM attentum, tenuit perplexum, perpetuumque scrutandi desiderium indidit. Quid nempe illud sit? Cum tamen omnia contineat, locumque ad esse aut subsistere præbeat; An fortè ignea materia aliqua cælestis, solida (ut statuunt Aristotelici) vel fluida sit? (ut Copernicus & Tycho Brahæus putant) seu quinta aliqua essentia limpida? vel SPATIUM ab omni materia, VACUUM scilicet illud semper negatum? &c.

Ingens illud spatium intermedium, inter corpora Mundana, nullo modo à Mortalibus comprehendi potest.

CAPUT II.

De LOCO ut & TEMPORE.

Quia communiter Philosophi *Vacuum dicunt esse Locum in quo nihil est*; necesse erit, de LOCO aliquid dicere, quid nimirum sit?

*Aristotelis
Definitio
LOCI.*

Aristoteles LOCUM definit: *Ambiens quidpiam seu vas quoddam immobile, alterius corporis contenti*; vel: *Locus est extremum continentis coherens contento*; seu, *Locus est ultimus terminus continentis.*

*Aliorum
Definitio.*

Alii: *Quod Locus sit superficies corporis Locati*; seu, *Locus est superficies concava corporis ambientis, immobilis.*

Fatetur tamen Philosophus ipse *lib. 4. Phys.* complures dubitationes enasci, quidnam sit ipse LOCUS? & quomodo res sint in loco? Ac concludit, non solum quidnam sit Locus? sed an sit? dubitari necesse esse.

*Authoris
descriptio
quid sit
LOCUS.*

Verum enim verò, LOCUS per se reale quid non est; sed certa quædam ac determinata vicinitas, in qua res aliqua respectu proximæ alterius cujusdam rei, suam exhibet præsentiam; ut dum est hic, non sit alibi.

Communis itaque hominum sensus, collocat omne quod est in aliquo *πῶς* vel *Ubi*, id est, in certâ aliquâ vicinitate seu confinio certæ alterius rei; quam vicinitatem, LOCUM vocat. Ita (*exempli gratia*) Petrus locari potest in certo aliquo conclavi; quod iterum locatur in aliqua domo: Domus in aliqua platea: Platea in aliqua urbe, *verbi gratia* Româ. Sed ubi Roma? in Italia: Ubi Italia? in quarta hujus Telluris parte, quæ Europa vocatur; Ubi Europa? in Telluris superficie intra Asiam & Americam. Unde iterum quæritur: Ubi Tellus hæc? & (*secundum Copernici Systema*) responderi potest: In Orbe seu Sphæra sua, quæ est intra Veneris & Martis Sphæras. Ubi sunt Veneris & Martis Sphæra? Responderetur: inter Mercurii & Jovis Sphæras. Iterum potest quispiam interrogare, Ubi Mercurii & Jovis Sphæra? & alter respondere: inter Solem & Saturni Sphæram. Ubi autem Saturni Sphæra? Responderetur: in extrema parte omnium Planetarum

rum